



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1729. usque ad annum 1731

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1785

VD18 13322648

§. 45. Sacrae Facultatis decretum contra Doctores Refractarios.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67677](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67677)

Sæc. XVIII:
A. C. 1730.

„mum usque vitæ halitum, pro Ec-
„clesiæ bono operam navaverit, ne
„dubitemus, quin cum ipso bonorum
„operum remunerator Deus misericor-
„diter egerit, non intrans in iudicium
„cum servo suo. Libri autem, quos
„tanto studio defunctus magister ad rei
„litterariæ ornamentum, ad Ordinis
„nostri decus & gloriam, ad Schola-
„rum Theologicarum commodum &
„utilitatem typis edidit, laudem ejus
„enuntiabunt in Ecclesia, præstabit-
„que, ut non recedat memoria ejus,
„sed nomen ejus requiratur a genera-
„tione in generationem.,,

„Hæc pauca de viro nobis omni-
„bus charo hic a me cum vestra ve-
„nia dici posse duxi, hac occasione
„data: Arguendus alioquin a vobis,
„si omnino tacuissem; excusandus au-
„tem, si, quod in gravi luctu & mærore
„fieri aliter vix potest, non pro digni-
„tate rei locutus sim.,,

§. XLV.

*Sacræ Facultatis decretum contra Do-
ctores refractarios.*

Hanc Syndici orationem S. Facultas
plurimum commendabat, eamque
Sorbonæ tabulis esse inserendam de-
cernebat, eo potissimum nomine, quod
Hist. Eccles. Tom. LXXIII. N Syn-

II. „Quantum ad actum protestato- Sæc. XVIII.
 „rium non potuissim abstinere ob A. C. 1730.
 „multa capita, quæ in ipso continentur,
 „tum contra reverentiam Regiæ Maje-
 „stati debitam peccantia, tum injurio-
 „sa vobis omnibus & Sacro Ordini,
 „quin statim pro munere quo fungor,
 „actionem dicerem falsi, & calumniæ
 „adversus illos Magistros, qui non eru-
 „buerunt tali instrumento subscribere.
 „Sola lectio hujusce instrumenti pro-
 „bat id a me non sine gravissimo fun-
 „damento pronuntiari. Verum egis-
 „sem, ut arbitror, contra mentem
 „conclusionis vestræ, quæ lata est die
 „octava Mensis Novembris præteriti.
 „Viæ vestræ sunt pacificæ, consilia
 „vestra sunt plena humanitatis, nihil
 „aliud vultis, nisi ut ad obsequium &
 „unitatem redeant Dissidentes, mota
 „autem lite adversus illos, timendum
 „erat, ne eorum mentes nedum mitesce-
 „rent, sed inde magis ac magis ex-
 „acerbarentur. „

„Quantum vero ad actum in se mi-
 „nime juridicum, sed informem, in
 „quo continetur libellus supplex obla-
 „tus Senatui Parisiensi, supervaca-
 „neum videbatur, ut de illo mentio-
 „nem ullam amplius facerem, cum
 „publicis in Comitibus die prima Mensis
 „Decembris habitis, S. M. de la
 „N 2 „Croix

Sæc. XVIII.

A. C. 1730.

Syndicus tam honorificam Viri de Ecclesia, Sacro hoc Ordine, & rebus Theologicis optime meriti Magistri Honorati Tournelii nuper defuncti memoriam habuisset. Postmodum die decima sexta Januarii rursus generalia habebantur comitia, in quibus idem Syndicus exposuit, sibi jam dudum consignatos fuisse tres fasciculos, in quorum primo quorundam protestatio, in altero libellus supplex Senatui Parisiensi contra Facultatis decreta oblati & demum in tertio, Magistrorum de Lagneau, & de la Croix oppositio adversus Facultatis conclusionem die 1. Nov. latam & die 1. Decembris confirmatam continentur. His expositis Syndicus rationes attulit, ob quas de hisce fasciculis serius in comitiis referre decreverit: Igitur hanc in rem ita effectus est. I. „Intellexeram hoc esse „consilium eorum, a quibus talia instrumenta mittebantur, distrahere animos, morasque injicere, ut dum in hisce perlegendis, aut reprimendis, occuparemur, abiret Comitiorum tempus, sicque impedirent nos de his tractare & agere negotiis, de quibus, missis aliis, agendum erat in hisce prædictis Comitiis, aut aliquæ exciterentur turbæ & contentiones, & id ad minus obtinerent, ut nulla pronuntiaretur. Conclusio.,

II. Quar-

Sæc. XVIII. „ Croix objicienti Conclusionem ve-
 A. C. 1730. „ stram diei octavæ Novembris præce-
 „ dentis minime confirmari posse, ob
 „ Provocationem interjectam ad Sena-
 „ tum Parisiensem in dicto Libello sup-
 „ plici contentam, reposuissim ego pa-
 „ lam & aperte, notum esse quidem
 „ nobis, talem Libellum supplicem ob-
 „ latum fuisse Senatui, sed ab eodem
 „ non admissum, neque ob stare posse
 „ interjectam aliquam provocationem
 „ ad Senatum Parisiensem, quæ oblata
 „ nullo hujusce Tribunalis decretorio
 „ judicio niteretur. „

III. „ Cum Magistri, qui subscripsi-
 „ sent tum provocatorio Instrumento,
 „ tum Libello supplici oblato Senatui
 „ Parisiensi, ut ad eorum Magistrorum
 „ causam accederent, qui auctoritate
 „ Regia jussi sunt die quinta Novembris
 „ proxime elapsi a nostris abstinere Co-
 „ mitiis, adjecta privationis pœna ab
 „ omni jure Magisterii, eadem auctori-
 „ tate Regia iisdem fuissent subjeti
 „ pœnis, hoc est, & a nostris exclusi
 „ Comitibus & omni privati Magisterii
 „ jure, quia nempe Majestas Regia in-
 „ tellexerat tales Magistros, non tam
 „ contra Facultatem insurrexisse sua
 „ temeraria agendi ratione, quam con-
 „ tra verendam ipsius Auctoritatem,
 „ existimabam, pro reverentia debita
 „ Re-

„Regiæ Majestati, ad nos amplius non
 „pertinere de tali facto inquirere, aut
 „illos ad Tribunal vestrum advocare,
 „cum jam ea de re non viderentur am-
 „plius esse quodammodo nostri juris,
 „nec decuisset novas pœnas iis addere
 „ob eandem culpam, pro qua Rex
 „ipse in eos animadverterat.”

Sæc. XVIII.
 A. C. 1730.

„Et vero iis rationibus mox allatis
 „novam hanc subjiciam: ut quis ob-
 „stare possit, ne aliqua Conclusio lata
 „vim legis obtineat in Societate, ne-
 „cesse est, ut in dicta Societate jus ha-
 „beat suffragii; tum enim, si quid vi-
 „sum ipsi fuerit peccatum contra leges
 „& statuta & Societas noluerit ullam
 „habere momentorum, quæ ab ipso pro-
 „lata sunt, rationem, eo ipso tempore
 „quo pronuntiata est Conclusio, re-
 „cursum habet ad Superiorem, inter-
 „cedere vel provocare pro ipso jure
 „potest: verum ubi a suo jure excidit,
 „spectari debet ac si non esset amplius
 „Societatis membrum: Quæcumque
 „autem instrumenta denuntiet, nul-
 „lius erunt momenti, cum, juxta re-
 „gulam juris, nullus major sit defectus
 „quam defectus potestatis: talis est
 „status M. M. Dissidentium, qui utrique
 „actui, Potestatorio scilicet, & Libello
 „supplici subscripserunt. Auctoritate
 „Regia sunt exclusi ab omni aditu Co-
 „mi-

Sæc. XVIII. „ mitiorum, hoc facto privantur omni
 A. C. 1730. „ jure Magisterii. Quo titulo igitur
 „ jam possunt obstare, quominus S. Fa-
 „ cultas legitime congregata eas Con-
 „ clusiones & leges ferat, quas pro
 „ circumstantiis temporum judicat esse
 „ faciendas, non video. Causentur
 „ illi, si velint, ut faciunt suis in li-
 „ bellis, absentiam suam a nostris Co-
 „ mitiis. Donec eadem auctoritas,
 „ quæ jussit eos abstinere, ipsis permit-
 „ tat, ut redeant, S. Facultas pro jure
 „ suo sua celebrabit Comitia, de rebus
 „ propositis deliberabit, ipsis licet ab-
 „ sentibus, & quas voluerit pronuntia-
 „ bit Conclusiones; eorum vero inter-
 „ cessiones, si quæ sint, habebit tan-
 „ quam irritas ac nullas, nec tenebi-
 „ tur vel levissimam earum facere meo-
 „ tionem. „

„ Hac ductus gravissima ratione exte-
 „ rimavi, opus non esse, ut de duobus
 „ Actibus supradictis verba apud vos
 „ facerem & abstinerem adhuc hodie,
 „ nisi visum fuisset nonnullis Magistris,
 „ quorum apud me est summa auctori-
 „ tas, opportunum, ut de hisce omni-
 „ bus penitus non tacerem. „

„ Verum de tertio Instrumento sub-
 „ signato a duobus Magistris, qui no-
 „ stris Comitiis die prima Decembris
 „ intererant, & quorum alter jus ha-
 „ bet

„bet suffragii, tacere minime possum, **Sæc. XVIII.**
 „& de illo retuliffem initio hujusce **A. C. 1730.**
 „mensis, nisi me retardassent negotia,
 „quibus de more onerantur, quæ fin-
 „gulis bienniis secunda Januarii cele-
 „brari solent Comitiam; hinc factum est
 „ut initio ultimorum Comitiorum ve-
 „niam a vobis postulaverim, quod de
 „isto negotio non referrem.,

„Actus ille continet intercessionem
 „factam a duobus SS. MM. scilicet Lag-
 „neau & de la Croix. Solum appel-
 „labo jam M. de la Croix, cum,
 „alter, qui etiam subscripserat Libello
 „supplici oblato Senatui Parisiensi,
 „vestris non possit interesse Comitiis,
 „a quibus jussus est auctoritate Regia
 „abstinere.,

„Scitis, Patres Sapientissimi, a
 „me interpellatum fuisse tribus repe-
 „titis vicibus M. de la Croix, utrum
 „vellet intercedere adversus Conclusio-
 „nem vestram diei octavæ Novembris
 „ultimi? Potuisset ille intercedere,
 „si voluisset, & de ipsius intercessione
 „a vobis illico in Comitiis Kalendis
 „Decembris præteriti celebratis fuisset,
 „ut moris est, deliberatum, quemad-
 „modum deliberatum fuit de inter-
 „cessione facta a S. M. Magnodet; ob-
 „mutuit D. de la Croix, remansit in
 „Comitiis, & cum a me postulatum
 „fuis-

Sæc. XVIII. „fuiſſet, utrum vellet ſacer Ordo vel
 A. C. 1730. „confirmare Conclusionem, vel ex-
 „pectare, donec Deputatorum antiquior
 „ſuam habuiſſet Relationem, de qua
 „agendum erat die decima quinta ejus-
 „dem menſis, dictus D. de la Croix
 „rogatus ſententiam ordine ſuo, eorum
 „amplexus eſt opinionem, qui ſentie-
 „bant, expectandum eſſe uſque dum
 „Deputati retuliſſent, ſed interim a
 „confirmanda conſuſione abſtinendum.
 „Eſtne, unde querimoniam moveat
 „dictus S. M. de la Croix adverſus ſu-
 „orum Ordinem, peccatumne eſt ad-
 „verſus leges & ſtatuta? Nonne libe-
 „rum erat unicuique alterutram,
 „vellet, amplecti ſententiam? Et que-
 „niam, quam amplexus eſt, non præ-
 „valuit, eſtne idcirco intercedendi
 „locus? Poterunt ergo ſimiliter inter-
 „cedere quicumque aliquam ſequuti
 „fuerint ſententiam, quæ numero ſu-
 „fragiorum non vicerit. Miror, que-
 „modo vir in rebus tractandis erudi-
 „tus, nescio quo, ex præjudicata opi-
 „nionem, abreptus impetu, leges juris
 „tam cito dedidicerit.
 „Ut autem aliquis ſit rationis color,
 „pro graviffimo momento contendit in
 „ſuo Inſtrumento per Apparitorem re-
 „gium ſignificato, ſummam deberi reve-
 „rentiam Senatui Pariſienſi, atque, cum
 „cauſa

„caussa de qua agitur, ad ipsius Tri-
 „bunal pendeat ob factam provocatio-
 „nem a nonnullis Magistris, vos, lite
 „pendente, non potuisse ad confir-
 „mandam Conclusionem procedere.
 „Sed iterum hominis eruditi peritiam
 „hic requiro; nonne in confesso est
 „apud omnes, nullam esse provocatio-
 „nem, quantumvis delata videatur ad
 „Senatum Parisiensem, cujus nos, ut
 „hactenus præstitimus, summo obse-
 „quio decretoria judicia veneramur,
 „nisi nixa fuerit Decreto aliquo quod
 „gallice vocant *un Relief d'appel*?

Sæc. XVIII.
 A. C. 1730.

Absoluta hac oratione Sacra Fa-
 cultas decrevit, oppositionem a Ma-
 gistris Lagneau & de la Croix omnino
 esse rejiciendam, & utrumque eidem
 sententiæ ac poenæ esse subjectum,
 qua nuper Catherinetus fuerat multa-
 tus, quo facto Magister Pouffin palam
 declaravit, se decreto S. Facultatis die
 14. Decembris condito sincere adhæ-
 rere; cum autem Magister Piers de
 Girardin ore & calamo sese novissimis
 Facultatis Theologicæ decretis oppo-
 sisset, Syndicus declarabat, hunc Ma-
 gistrum in comitiis jam dudum sese
 iteratis vicibus Virum ferventioris in-
 genii exhibuisse, sua vero oppositione
 omnem excessisse modum, eamque om-
 nino nullam esse, intempestivam, S. Or-
 dini

Sæc. XVIII.

A. C. 1730.

dini oppido injuriosam, ac ialitibus
 & calumniis turgidam, præcipue cum
 falso affereret, passim in comitiis au-
 diri comminationes exilii & carceris;
 cum S. Facultatis consilia non nisi ad
 humanitatem & indulgentiam collig-
 ment, eaque nil magis ardentius ex-
 optet, quam ut e Magistris dissidentes
 ad obsequium & unitatem doctrinæ re-
 vertantur. Eapropter Syndicus petit
 ut nulla habita præfatæ oppositionis ra-
 tione Sacer Ordo prælectam Facultatis
 conclusionem confirmaret, & Magi-
 strum Piers e Sorbonæ gremio ejectum,
 exclusumque declararet, nisi in proxi-
 mis comitiis suam oppositionem revo-
 caret, & humillime a S. Ordine veniam
 peteret, eo quod statuti vigesimi quinti
 immemor contra reverentiam S. Facul-
 tati debitam suis convitiis ac probris
 inverecunde peccasset, atque idcirco
 juxta Sorbonæ leges a consortio S. Or-
 dinis repelli promeruisset. His expo-
 sitis idem Syndicus suasit, ut fatalis
 poenæ latæ terminus Dissidentibus Ma-
 gistris præfixus, quamvis die 15. hujus
 Mensis expiraret, nihilominus tamen
 prolongaretur, ut omnis querimonia
 locus amputaretur, hacque ratione S. Fa-
 cultas magis magisque suam in redu-
 cendis refractariis propensam demon-
 straret voluntatem. Postea Syndicus
 signi-

significabat, quatuor alios Magistros Sæc. XVIII.
 sponte & toto cordis affectu cunctis A. C. 1730.
 Sorbonæ decretis adhærere, plurimos-
 que Magistros tam sæculares quam Re-
 gulares, qui nondum jure suffragii gau-
 derent, exoptare, ut pari obedientia
 hisce decretis palam adhærere, eis li-
 ceret, præcipue vero conclusioni die
 15. Decembris, qua S. Facultas decla-
 rabat, se amplecti Constitutionem *Uni-*
genitus tanquam judicium dogmaticum
 Ecclesiæ Universalis, eoquod omnino
 æquum esse eis videretur, annuere
 præclaris Magistrorum votis, quæ in
 communi causa aliunde in commodum
 & utilitatem tam privatorum, quam
 totius S. Facultatis Parisinæ vergunt.
 His in deliberationem vocatis, S. Fa-
 cultas decrevit. I. Magistrum Piers
 e gremio esse ejiciendum, ni veniam
 peteret. II. Longioris moræ termi-
 num dissidentibus non nisi in proximis
 comitiis esse præfigendum. III. Docto-
 ribus, qui Sorbonæ decretis acquie-
 runt, suæ adhæssionis literas testes esse
 dandas, æque ac aliis decem, qui pa-
 lam in comitiis declarabant, se sincero
 corde præfatis decretis adstipulari.

§. XLVI.

Alia Ejusdem Facultatis comitia.

Insu-